

Sic omnia quæ Navi vel Curru vehuntur, simul cum ipsa Navi vel Curru, hujus Virtutis fiunt capacia; Unde quando lapis recta (*vel pila*) sursum projiciuntur, duplum acquirunt impulsum, unum à navi vel curru, alterum à manu projicientis: non itaque perpendiculariter ascendunt descenduntque, sed currum vel navim in aëre sequuntur, & manum projicientis repetunt, etiamsi cur-

ruš vel navis in sua latione maneat.

Res parva, rei magnæ, parum virtutis impulsivæ imprimere potest; Sic ex. gr. malleus incidi non sensibilem imprimit effectum hujus virtutis; unde solea Equorum ferrea (germanicè *Ein Hufeisen*) super incude, hominis ventri imposita, malleo & acuto ferro discuti seu in frusta comminui potest, absque ullâ ventris seu hominis læsione & damno.

*Res minor
majori pa-
rum virtu-
tis Impulsi-
va impri-
mere potest.*

C A P U T III.

De Natura & Qualitatibus Virtutis Impulsivæ.

*Natura Vir-
tutis impul-
sive est, ut
uno eodem
que impetu
tam ante
quam retro
agere possit.*

Virtus impulsiva, omnem partem versus, operari potest, ut in Hollandia experiuntur ii, qui super glaciem, Soleis ferreis induiti, uno impetu, tam rectum quam circularem cursum instituere possunt. Hæc virtus dum in majoribus corporibus, quæ scilicet sunt ejusdem materiae, majorem habet effectum, (*ut capite antecedenti dictum*) sequitur quod per illam majora corpora longius projici & etiam in majori circumferentia in gyrum circumduci possint, quam corpora minora.

*Virtus im-
pulsiva ope-
ratur tam
secundum
rectam li-
neam, ut &
Circulariem
quam ip-
sum Vorti-
com.*

Et quidem, quoad longitudinem vel distantiam, (id est, quoad lineam rectam) quotidiana constat experientia, quod minor globus adhucit omni vi, nunquam possit ad tantam distantiam projici quam major, si est in debita proportione.

Eodem quoque modo in linea circulari, minor globus filo liberè circumductus, non potest in tanta circumferentia circumduci vel circumvibrari quam major.

Experimentum à tam Rectâ quam Circulari.

*Vide Ico-
nism. XVIII.
Fig. I.*

Sit globulus plumbeus *a*, mediante filo *a b* alligatus baculo *b c*, hic globulus *a* beneficio istius baculi ab aliquo (si filum est in debita longitudine vel proportionata distantiâ) optimè in gyrum circumduci vel vibrari potest; quando autem distantia seu filum nimis longum: contrà globulus ad talem distantiam non satis ponde-

rosus est, circumductio aut perficitur difficile, aut denique in nullum voluntum seu vibrationem perduci potest.

Experim. à tam Vortice ipso, quam Circulatione.

Factornari, ex afferre roboreo, segmentum sphæræ concavæ, eâ capacitate vel circumferentia quam possibile est, & instructum baculo ferreo *a b*, per medium afferis tanquam axe transiente, ita ut possit sicut turbo vel trochus celeriter circumgyrari. Deinde superimpone aliquot globulos marmoreos (quibus scilicet pueri ludere solent) diversæ tamen magnitudinis, & videbis propter celerem circumgyrationem majores ad marginem magis accedere, minores autem magis ad centrum sese applicare. Atque hæc est causa, quod inter diversa semina, prout sunt grana papaveris, cannabis, pisí, &c. quando in vas aliquod concavum *verbi gratiâ* paropsidem (vulgò *eine Mulde*) immittuntur & agitantur, semper majora grana à centro ascendant & extrema seu exteriora petant: contrà, minora magis in inferiori loco seu juxta centrum versentur. Imò hic ordo circumgyrationis in Jovis Satellitibus videtur oculis; ita quantò major Satelles, tantò major orbis, tantoque magis distat: & qui vicinior est, minor est.

*Vide dib.
Iconism.
Fig. II.*

Quia autem sine dubio omnis virtus suo subjecto proportionata est; sequitur virtutem impulsivam quæ imprimitur corpori alicui, corpori isti

*Corporis
majora, lon-
gius naturâ
removentur
à centro
quam mi-
nora.*

*Virtus pro-
portionata
est suo sub-
jecto:*

pro-